

pondetur non posse passivam, et activam potentiam inadæquate se habere ad constituendam substantiam, et potentiam operativam, sicut intellectus passive se habet respectu specierum, et active respectu intellectiois. Et disparitas est, quia actus isti, scilicet esse, et operari se habent ex propria ratione tamquam adæquati in specificando: uterque enim est actus ultimus in sua linea, et completus, nec in specificando potentiam dependet ab altero; constat enim quod tota specificatio substantiæ completur, et sistit in ipso esse ante operari, si quidem cum operatur, vel quando operationem respicit, jam speciem constitutam habet, tota si quidem ratio substantiæ consistit in hoc quod sit ens per se, et petat existentiam per se; et sic intra limites ipsius esse, et in ordine ad esse species, ratioque substantiæ continetur: nec pro specificatione sua ab aliquo extra se dependet, aut ab illo specificatur, quia substantia est ad se, et per se, et in hoc sistit in linea, et genere substantiæ, imo cum operatio talis, vel talis speciei in creaturis procedat a tali, vel tali principio, cuius est actio, totam speciem, et essentiam illius principii supponit constitutam, ut ab ea exeat. Quare ille alius actus qui est operari jam non potest specificare substantiam in ratione substantiæ, quia jam illa specificatio non pertineret ad rationem entis ad se, et per se, sed habentis se ad alterum, et dependentis in essendo, quale est accidens. Unde non potest actus operandi etiam inadæquate concurrere, et se habere in ordine ad specificandum substantiam intra lineam substantiæ, et ita si specificat, aliud genus entis specificare debet, scilicet potentiam quæ sit accidens, eo quod potentia quæ est substantia, et se habet ad esse, non est specificabilis, in quantum sub-

stantia, ab eo quod est extra se, et non pertinet ad esse. At vero in intellectu esse receptivum specierum, et activum intellectiois possunt esse inadæquate rationes ejusdem potentiæ, quia illæ duæ rationes ordinantur ultimate ad unum actum, qui est intelligere: receptio enim specierum est receptio alicujus quod se habet ut actus primus, et ordinatur ad intelligere, ut ad actum ultimum, et secundum. Unde cum ibi unum sit propter aliud, et ordinetur ad aliud, et ipsa potentia intellectiva cum non sit substantia, sed virtus operativa, bene stat quod tam in ratione passivæ quam activæ specificetur adæquate, quia ibi passivum ordinatur ad activum, species enim intelligibilis est representatio objecti, quæ nisi actus intellectum, non potest procedere ad intelligendum, et ideo potentia intellectiva debet specificari ab objecto sub duplici ordine inadæquato, requisito tamen ad intelligendum, et in ipso ordine intelligibili, scilicet quod patitur intelligibiliter, et representativa ab objecto, et per actum secundum tendat ad illud, eique uniatur; et sic cum una ex his rationibus per se ordinetur ad aliam, ex utraque resultat adæquata ratio talis potentiæ.

XXXV. Ex quo obiter colligitur ratio quare nulla substantia creata possit ita esse eminens, et excellens quod in unica ratione uniat esse substantiam, et esse operativam, eo quod non potest in aliqua creatura operatio, et existentia esse idem, sed esse, et operari differunt, ut supra ostensum est, ita quod operatio sit actus secundus supponens constitutam speciem, et quidditatem operantis. Substantia autem creata, hoc ipso quod creata est, dicit potentiam ad esse, quia ejus ratio essentialis, et intrinseca consistit in hoc quod sit ens per se, seu cui debetur esse

per se, et potest esse per se: ergo talis potentia, seu tale posse, ut pertinet ad lineam substantiæ, non potest ordinari essentialiter, nisi tantum ad esse, non ad operari: nam substantia non sumit suam essentiam, et rationem per ordinem ad aliud extra se, sed ad se, et ad suum esse, quia sistit in hoc quod est ens per se, et hoc est ei essenziale, et proprium prout distinguitur ab accidente: ergo ubicumque operatio fuerit extra substantiam, et extra ipsum esse substantiæ, non potest substantia esse potentia ordinata, et specificata per ipsum operari, sed per ipsum esse, ut distinguitur ab operari: ergo non potest per seipsum esse potentia operativa, immediate quia operativa potentia, seu id quod immediate, et formaliter operatur, per se ordinatur ad actum, qui est operatio, non ad actum qui est esse: potentia autem substantiæ in creatis ordinatur ad esse, quod non est operari. Igitur si non potest dari creatura ita eminens quod in se uniat ipsum esse, et operari, ita non potest dari substantia ita eminens quod sit substantia, et potentia immediate operativa. An vero possit substantia respicere substantiale esse ut specificativum, operationem vero secundario, et mediate, non vero per modum specificativi, dicemus solutione ad secundam.

XXXVI. Ad secundam instantiam, quæ aliquibus exemplis constat, respondetur. Ad primum de accidente, quod dicit immediatum ordinem ad esse, et simul potest dicere ad operari, diximus in citato loco ex quæstione XII physicorum, quod accidens non est per se principium essendi, nec immediatum, sed essendi secundum quid, et in alio. Etenim accidens habet esse, non recipiendo, nec sustentando illud, sed ut sustentatum ab alio a quo dependet, scilicet a substantia, quæ per se

existit, et per se dicit immediatum ordinem ad esse, quia ab alio sustentante non dependet, sed est primum, et per se principium existendi, non solum ut radicaliter existens, sed formaliter, et per se primo. Ad replicam vero contra hanc solutionem, quod etiam accidens non est principaliter, et primo operans, sed quasi instrumentaliter, et ut virtus substantiæ, distingo; accidens non est principaliter operans ut quod, et ut principium radicale operandi, concedo; ut virtus, et principium immediate specificabile ab operatione, nego. Et in hoc est disparitas inter operari, et esse, quod potentia specificabilis ab esse, et primo, et per se ordinata ad ipsum debet esse id quod principaliter, et per se existit, et hæc est substantia; potentia autem specificabilis ab operari, et quæ per se primo ad illud ordinatur, debet esse accidens, seu principium quo operandi, non principium radicale, et operativum ut quod. Et hoc ideo, quia primo, et per se, seu proxime, et immediate habere esse pertinet ad fundamentum, et primam rationem entis, quæ est substantia, immediate autem, et proxime operari pertinet ad ultimum quod est virtus a qua immediate exit actio. Nam esse est primum quod requiritur ut res sit extra nihil, et id quod primo, et per se, et ut sustentans cætera habet hoc esse, est substantia: et ideo esse pertinet formaliter, et non solum radicaliter ad substantiam: at vero operari non pertinet ad id quod est primum in ente, sed ad ultimum, quia operari sequitur esse; et ideo ad substantiam operari solum pertinet radicaliter, formaliter vero pertinet non ad id quod radix, et fundamentum, et substans est in essendo, sed ad id quod ultimum, seu consecutum, et secundarium, quia sicut operatio sequitur esse, ita operativum sequi-

tur ad entitativum, et potentia operandi ad potentiam essendi, quod est pertinere formaliter, et proxime ad id quod est virtus, et potentia operandi ut quo, radicaliter vero ad id quod se habet ut quod, et in ratione existendi fundamentum, et substantia est.

XXXVII. Ad secundum exemplum respondetur ex dictis, negando consequentiam: nam licet potentia passiva, in quantum talis, imperfectior videatur quam activa, si eodem modo comparentur ad actum, tamen passiva potentia, quæ se habet in ordine ad esse tali modo, id est, primo, et per se sine dependentia ab alio priori sustentante, sed per modum subsistentis, et existentis per se, perfectius quid est, quam potentia activa immediate, et proxime operans, et specificabilis ab operatione. Et quia pertinet ad substantiam immediate et per se comparari, et specificari ab ipso esse, vel ab actu essendi, non autem specificari per ordinem ad aliquid extra se, quia est ens in se, et per se, ideo potentia passiva sic ordinata ad esse, immediate, et proxime convenit substantiæ, non autem proxime ordinari, et specificari ab operatione, quia hoc est specificari ab alio extra se, id est, ab accidente, quod est extra genus substantiæ. Ipsa ergo substantia non specificatur ab alio extra se, seu extrasuam quidditatem, sed substantia completa sumit essentialem rationem substantiæ per ordinem ad esse, cujus est capax, et immediate recipit illud; materia per ordinem ad formam, quæ est principium dandi esse formale. Et sic est immediate potentia passiva, quia ordinatur ad habendum esse in se, quod immediate recipitur in substantia, et ente. Ponere autem quod substantia specificetur ab ipso esse, seu essentialem rationem dicat ad esse per modum potentiæ ad exis-

tendum per se: dicat autem ordinem ad operari sine aliqua specificatione ab ipso, sed tamquam ad aliquid mediatum, et secundarium, est dicere quod actus operandi etiam in creaturis in quibus est distinctus ab esse, non sit sufficiens specificare potentiam, quæ ad illum comparatur, et cujus est proprius, et per se actus, quod est negare potentias specificari ab actibus, cum tamen videamus, ex diversitate operationum distingui principia operativa, et posse separari unum ab alio, sicut principium audiendi a principio videndi, quia non solum actus videndi, sed potentia ad videndum deest cæco, et non deest illi substantia, ut latius persecuti sumus in libris de anima, quæst. II, artic. II.

XXXVIII. Ad tertium exemplum dicimus, quod Deo convenit per se ipsum operari tali operatione, quæ non distinguitur ab ejus esse, neque ab illa tamquam ab aliquo distincto potentia specificari potest: accidenti autem convenit operari immediate operationem distinctam a se tamquam principio immediate specificabili, et dependenti a tali operatione, ut distincta a se, quod maxime distat a Deo: substantia autem creata non potest pervenire ad hoc ut habeat operationem indistinctam a se, sicut Deus, nec tantam imperfectionem habet quod, stante operatione distincta, specificetur ab illa, et essentialiter ordinetur ad illam, quia hoc est extra lineam substantiæ, quæ solum est ad se, et per se existens, non ab alio, et ad aliud specificabilis. Unde debet esse media inter Deum, et accidens, ut operetur per aliquid distinctum a se.

XXXIX. Ad ultimum argumentum, ex instantiis Scoti diximus citatis locis in physicorum quæstione XII, et in libris de anima, qu. II. Substantia enim dicitur productiva alterius mediante operatione acci-

dentali a se distincta, licet effectus productus sit substantia. Sicut autem non repugnat quod mediante actione accidentali producat substantia, ita non repugnat quod mediante potentia accidentali producat, quia tam potentia, quam operatio operantur in virtute substantiæ, quæ virtus non est aliquid superadditum ipsi potentiæ, sed ipsamet potentia ut radicata in substantia ab eaque dependens, et dimanans: sic enim dicitur substantia agere per illam, tamquam per aliquid sui: similiter propriæ passionnes dicuntur emanare a substantia, non per propriam et veram actionem procedentem ab ipsa essentia, sed procedentem ab ipso agente, quæ primo, et per se terminatur ad essentiam, et ratione connexionis quam habet cum passionibus, transit ipsa actio ab essentia ad passionnes, et transitus ille ut fundatus in ipsa connexionem essentiæ dicitur emanatio ab essentia ut diximus citatis locis, præsertim in quæstione secunda de anima. Item ipsa substantia non habet influxum in suam potentiam, et virtutem distinctam ab influxu, quo ipsamet virtus influit in effectum, sed unicus, et idem influxus pro indiviso exit a substantia ut a principio quod, radicaliter solum operativo, et a principio quo, ut operativo proximo, non quia prius exeat influxus a substantia, et recipiatur in potentia, et ab illa exeat in effectum: talis enim modus influendi proprius est unius causæ superioris in aliam inferiorem tamquam in causam, et virtutem distinctam, non autem principii radicaliter operativi in suamet virtutem, quia sic necesse esset virtutem qua aliquid operatur, recipere aliquid actualitatis a suo principio radicali quod est impossibile, cum principium radicale non operetur indistincte a principio quo operan-

di, sicut nec substantia existit independentem a principio quo essendi, quod est forma: sed solum ille influxus, qui pro indiviso procedit a principio radicali, et proximo dicitur procedere secundum diversos respectus, et dependentias a principio quo, et quod in emanando. De quo late tractavimus q. XII physicorum, art. III.

XL. Ad id vero quod ultimo loco ponitur de substantia Angeli, quæ se habet ut species intelligibilis respectu sui, et influit in cognitionem qua Angelus se cognoscit, dicemus articulo sequenti. Ille enim influxus speciei est in genere repræsentativo, et per modum objecti quod non influit in actum, nisi influxu participato a potentia, et mediante ipsam tamquam proximo influente, quando species est substantia, et non accidens superveniens potentiæ. Dato enim quod species influat in genere causæ effectivæ in actum (quod non est omnino certum) non tamen est necesse quod species semper influat effective ut principium proximum effectivum, sed si sit accidens, poterit proxime influere superaddendo potentiæ determinationem influxivam: si vero sit substantia, influet, et determinabit radicaliter, mediante tamen potentia ut proximo influxivo, quatenus illa potentia emanat a substantia, non solum tamquam a principio radicali intelligendi, sed etiam ut ab objecto intelligibili, a quo emanat objective, et non solum subjective. De quo plura dicemus articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus indigeat specie intelligibili superaddita ad intelligendum se?

Supponit hæc difficultas duo, quæ nos in libris de anima, quæstione VI,